PA 3825
.P8 06
Copy 1

QUAESTIONES
DE
PROMETHEI AESCHYLEAE
RE SCAENICA

DISSERTATIO
QUAM
CONCESSU
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
ROSTOCKIENSIS
SUMMOS IN PHILOSOPHIA
HONORES
RITE CONSECUTUS
SCRIPTAM EDIDIT

GUILELMUS OTTO,
PHILOLOGIAE CANDIDATUS,
PHILOSOPHIAE DOCTOR.

LIBRARY OF CONGRESS
SMITHSONIAN DEPOSIT
17600

BEROLINI,
TYPIS EXPRESSIT P. STANKIEWICZ.
MDCCCLXXII.

PA3825
P8Ob

Aeschylo non breve vitae spatium fuit immo diutissime magnam rei scaenicae operam navavit; nam cum Pratina et Choerilo jam Ol. LXX certavit [1]) et Ol. LXXXI, 1, mortuus est. [2]) Tragoediarum scriptores, qui antecesserunt, et arte componendi tragoedias et exornandi indole multo superavit; aras enim signaque alia in scaenam contulit primus, histrionum cultum habitumque decoravit; praesertim chori magnificentiam auxit ejusque saltationes maximo cum artificio excoluit. [3])

Ut omittam alia illustrissima antiquitatis testimonia [4]) sufficere mihi videtur Aristotelis de ejus meritis laudatio [5]) qui eum „ὑποκριτῶν πλῆθος ἐξ ἑνὸς εἰς δύο

[1]) Suidas (ed Bernhardy) s. v. Pratinas.

[2]) Marmor. Ox. et schol. ad Aristophanis Ach. 10 (Hermanni opus. II p. 147).

[3]) Qua de re optime „Vita" Aeschyli: „καὶ πολὺ τοὺς πρὸ αὐτοῦ κ. τ. ἑ."

[4]) Horatii art. poet. 182, 278 sqq. Porphyrio ad Horat. l. c., Philostrat. vita Sophist. 1. 19. p. 492, Vita Apoll. VI. „ὅθεν Αἰσχύλοι κ. τ. ἑ. Athenaeus 1. p. 21. „πολλὰ σχήματα κ. τ. λ.

[5]) Poët c. IV. 16.

πρῶτον ἀγαγεῖν praedicat, καὶ τὰ τοῦ χοροῦ ἐλαττῶσαι καὶ τὸν λόγον πρωταγωνιστὴν παρασκευάσαι. Itaque factum est, ut fabulae Aeschyli jam mortui iterum ac saepius docerentur [1]) et Athenienses eum patrem tragoediae appellarent. Neque desunt nunc quoque qui eum cum maximis omnium temporum poetis eodem loco habeant atque ego postquam Aeschyli studio per multum tempus non sine summa voluptate me dedi, imprimis Prometheum Aeschyleam elegi, de cujus re scaenica nunc quid viri docti dixerint diligenter perscrutatus, optime gratum meum animum poëtae manibus praestare me puto. Nam etiamsi non nova et inaudita de his rebus afferam, tamen aequales et sodales meos ad studium illud incitare mihi videor, si difficiliores quosdam de re scaenica locos auctoribus undique collatis illustravero.

---

[1]) Philostr. Vit. Apoll. VI 11.

Cap. I.

De scaena.

De scaena Promethei Aschyleae magna quidem inter viros doctos est dissensio, sed simplicissimam eam fuisse omnes affirmant. Ac primum quidem utrum aulaeo velata fuerit scaena necne adhuc sub judice lis est inter explicatores Promethei. Droysenius enim ad finem versionis Promethei aulaeum tolli contendit. [1])

Schneiderus [2]) omnes quibus aulaei mentio fit locos congessit; sed jam Hermannus [3]) et Boettigerus [4]) satis superque demonstrarunt, ad scaenam minime spectare quae Hesychius [5]) et Suidas [6]) hac de re scripserint.

---

[1]) Cf. etiam quod in versione Sept. contr. Theb. initio tacite de aulaeo a Graecis adhibito sumere videtur. Idem de aulaeo sentit Genellius (Theater zu Athen, Berolini et Lipsiae 1818 p. 54. et Lohdius (Die Skene der Alten). Berolini 1830. p. 12 (20tes Programm zum Winkelmannsfeste).

[2]) Attisches Theaterwesen p. 81. No. 103.

[3]) Leips. Lit. Zeit. 1818. S. 1906.

[4]) Art. Notiz. Bl. 1824. No. 2. Kleine Schriften 1. p. 402.

[5]) s. v. *αὐλαία*.

[6]) s. v. *αὐλαία*.

Nulla igitur aulaei mentio fit apud spriptores Graecos [1]), nulla deinde causa fuit, cur propter fabulas agendas aulaeo opus esset. [2]) Quantum denique spatium explendum fuit, si velum pandi pro scaena Graecorum volumus! Equidem scaenam aulaeo instructam non fuisse pro certo habeo atque jam quid oculis eorum qui spectabant se proebuerit, quaeram.

Et simplicissima quidem, ut jam dixi, scaena fuit Promethei. Nam per totam fabulam nihil conspicimus nisi arduam aliquam rupem [3]) in deserta Scythiae regione sitam. Idque ex multis hujus tragoediae locis apparet. [4])

Proscaenium igitur plane vacuum neque ulla re exornatum est. Idem sentit Schoenbornius; [5]) dissentiunt Droysenius et Donnerus.

Et Droysenius quidem [6]) hanc esse saenam putat.: litus maris, ad laevam mare apertum, rupes desertas ad dexteram.“

---

[1]) cf. Harmann. philolog. 1861. p. 565.

[2]) Nam etiamsi pro explorato accipimus, quod O. Muellerus (die Eumeniden des Aeschylus Gottingae 1833. p. 105.) de aulaeo in Eumenidibus adhibito erudite disseruit, tamen id ad Eumenides tantum pertinet neque valet in Prometheo aut in aliis fabulis.

[3]) Similiter J. G. Rothmannus (das Theatergebäude zu Athen nebst drei lithographischen Abbildungen. Ein Beitrag zum Studium der gr. Tragödie). Torgoviae 1852. p. 11. Cf. Philologi T. XXIII. p. 295.

[4]) vers. 1, 15, 20, 31, 56, 140, 749, 1020; (edit. G. Hermannus Berol. 1859.)

[5]) Die Skene der Hellenen. Lipsiae 1858. p. 289.

[6]) In versione Aeschyli tragoediarum. Berolini 1842. p. 409.

Sed huic opinioni mimine adsentiendum esse Schoenbornius demonstravit his fere verbis:[1]) Si mare conspici potuisset, Oceano quoque et Oceanidibus inde i. e. in litore veniendum fuisset, id quod nullo modo factum est. Nam Oceanides per aërem advolant,[2]) v. 128 sqq., 280, 124, 135, et Oceanus quoque in alato equo per aërem advenit[3]) neque ullo verbo mare oculis adspici indicatur. Id tantum concedi potest, mare non magno a scaena spatio semotum esse. Nam:

v. 570. sqq. sic loquitur Jo:

ἀλλά με τὰν τάλαιναν,
ἐξ ἐνέρων κυναγεῖ πλανᾶ
τε νῆστιν ἀνὰ τὰν παραλίαν ψάμμον.

Ex his ultimis verbis arenam in qua Jo errat, propter mare i. e. haud longo ab eo spatio remotam esse perspicuum est. Accedit quod Oceanides, ferramentorum, quibus Prometheus saxo affigitur, sonitu in antris audito ad miserum consolandum festinaverunt.[4])

Portae autem scaenicae quot numero plerumque fuerint in tragoediis quaerere minime pertinet ad praesentem materiam, quoniam in Promethei scaena, ut ex iis quae dixi satis patere mihi videtur portarum

---

[1]) l. c. p. 289.

[2]) id accuratius infra demonstrabitur p. 17. sqq.

[3]) v. 288. (ed. Hermannus Berolini 1859) τὸν πτερυγωκῆ τόνδε οἰωνὸν γνώμῃ στομίων ἄτερ εὐθύνων Cf. v. 396.

[4]) v. 133, 134.

usus omnino fuit nullus. Dilucide insuper Sommerbrodtius [1]) Polluce teste adhibito vel potius repudiato hoc demonstravit et restat ut: „quanam via histriones hujus tragoediae in scaenam prodierint," quaeramus.

Ac primum quidem Prometheum, Hephaestum, Kratos, Biam sublimes, super media porta (in maeniano quodam) apparuisse, Oceanum et Oceanides per aërem advolavisse constat [2]) Jonem vero quae per terras semper erret, via terrestri quadam pedibus in scaenam quin sine ulla machina prodierit nemo dubitabit. Atque etiam Hermes haud dubie pedibus et in terra, mea quidem sententia advenit, etiamsi Droysenius et Donnerus eum cum caduceo et calceis alatis advolare dicunt. Neque enim ullo verbo eum per aërem appropinquare indicatur; indicatur autem multis et perspicuis verbis cum Oceanus et Oceanides apparent [3]) Versu enim 945 [4]) Hermes Jovis cursor (τοῦ Διὸς τρόχις) appellatur, Jovis mandata nempe persecuturus, quocunque mittitur, festinans.

Sed nihilominus inquirendum est, utrum Jo et Hermes in plano an sublimes in summis montibus et rupibus appareant.

---

[1]) De Aeschyli re scaenica I. Lignicii 1848. p. 19 (quem libellum secuti sunt duo alii: II. Lignicii 1851. III. Tanglimi 1858.

[2]) Cf. Schoenbornium l. c. p. 290.

[3]) verbis si quis in scaenam prodierit vel quomodo proditurus fuerit spectatoribus plerumque nunciatum esse, Aristoteles περὶ ποιητικῆς c. 17. dicit.

[4]) Omnes Aeschyli tragoediarum locos ex Hermanni editione Berol. 1859. affero.

Et Hermes quidem Jovis ille muntius ad Prometheum propius accedat et diverbium cum Titane conserat necesse est neque potuit tantum spatium inter utrumque interesse, quantum ii volunt, qui Hermam in plano incedentem faciunt. Quod si ita est, facile intellegitur, quomodo, cum saxa una cum Prometheo corruant, Hermes subito e conspectu evolare possit. Evolaverit enim necesse est; nam cum in extrema tragoediae parte imis summa confusa cunctaque terrae gurgite inhiante immersa conspicimus, si in pulpito esset ipse, non Prometheus poenas a Jove imminentes nuntiare debebat. Sed quia paululo tantum prius abcessit quam saxa moverentur, ex pulpito tacite gradum concitans, fugientis magis timide quam dei graviter abeuntis speciem praeberet. Sublimes autem in saxo quodam si versatur, facilius e conspectu evolare potest post scaenam ductilem, quam medio e logeo.

Prodiisse autem et abiisse existimo Hermam per scalam quandam positam intra parietem ductilem et scaenae frontem. Quod si ita est, haec una quaestio, num Jo porta aliqua usa sit, relinquitur. Sed cum omnes ceterae fabulae personae per scaenae portas non procedant, etiam Jonem portis scaenicis non usam esse mihi est verisimile, sed quae per terras et maria et deserta et montes erraret, prope Prometheum in saxo apparuisse censeo. Etiamsi ipsa quidem queritur, se πλανᾶν ἀνὰ τὰν παραλίαν ψάμμον,[1]) certe παραλίαν

[1]) Prom. 569.

φάμμον non propria significatione sumi posse neminem fugiet. Nam quo tempore Jo prope Prometheum morabatur, non jam asilo [1]) vexata et excitata sine dubio est. [2]) Si vero „οἶστρος“ in ejus querela non proprie dictum est, sed repetuntur tantum miseriae quas jam perpessa est, cur verba „παραλίαν ψάμμον‘, premamus et in litore eam i. e. in plano versantem faciamus non intellego. Accedit quod Jo v. 748 Prometheo dicit:

Τι δῆτ᾽ ἐμοὶ ζῆν κέρδος, ἀλλ᾽ οὐκ ἐν τάχει
ἔρριψ᾽ ἐμαυτὴν τῆσδ᾽ ἀπὸ στυρλοῦ πέτρας;

Quod consilium a rupe se praecipitandi tum demum magno cum spectantium commotu pronuntiari potest, si Jo in ea rupe jam versatur neque eniti debet in acumen, priusquam mortem sibi consciscat. Ego etiam Jonem sublimem eodem modo, quo Hermes prodit, prodire neque per portam usitatam egredi, neque omnino tota in fabula ullum harum portarum usum fuisse arbitror.

At extat vasis pictura a Millino [3]) primo edita, quae a Scrofanio, [4]) probante Geppertio [5]) ita exponi-

[1]) Prom. 564. χρίει τις αὖ με τὰν τάλαιναν οἶστρος.

[2]) Schoenbornius ut demonstraret (l. c. p. 292) eo tempore Jonem asilo non vexatam esse, afferre omisit haec: Jo, ceteris miseriis a Prometheo nuntiatis v. 880—883 loquitur: ἐλελεῦ ὑπό μ᾽ αὖ σφάκελος κ. τ. ἑ.

[3]) Peintures de vases antiques T. II. pl. LV, LVI, cf. Stuart Lief. XXVIII. Bl. II. Fig. 8.

[4]) Memoire sur une vase antique lu à l'institut de Erance de I. Octobre 1809.

[5]) Geppertius l. c. Einleitung p XXII.

tur ut sit Jo per portam intrans in orchestram. Audio, sed gravissimis rationibus jam demonstravit Wieselerus,[1]) hanc picturam ad theatrum nullo modo esse referendam.

Quomodo autem per loci et aedificii naturam fieri potuerit, ut hujus tragoediae et actores et chorus sublimes apparerent, si quaerimus, Schoenbornius[2]) quidem minime dubitat, quin veterum Graecorum scaena ita fuerit constituta, ut fabulae sublimes supra pulpitum agerentur. Superiores enim scaenae partes porticus continuas habebant et chorus et actores in eas prodire potuerunt, quae porticus ibi, etiamsi non semper fuerunt, tamen tabulis vel trabibus positis in pluteo, cujus certe in quibusdam theatris extant reliquiae, facillime effici potuerunt.[3]) Et quamquam Lohdius,[4]) Texiero auctore,[5]) fenestrarum antepagmenta esse vult ea quae plutea sive maeniana dico fuisse secundum Vitruvium,[6]) tamen rationes quas affert Lohdius nequaquam mihi videntur refellere Schoenbornii de pluteo sententiam, quam ex oculo-

---

[1]) Theatergebäude und Denkmäler des Bühnenwesens bei den Griechen und Römern. Gottingae 1851. p. 34.

[2]) l. c. p. 294.

[3]) vide Schoenbornium l. c. p. 27. sqq.

[4]) l. c. p. 1.

[5]) Texier: „Description de l'Asie mineure tab. 232. et Freder. Wieseler. l. c. p. 5. No. 16. „L'ordre supérieur est supporté par des piédestaux très-bas; chaque couple de colonnes porte un fronton etc."

[6]) De architectura V. 7.

rum judicio sumpsit, postquam Aspendi et Myrae theatra diligentissime perlustravit.[1])

Deinde ea scaenae pars, ex qua pluteum illud prominuisse dico, foraminibus sive fenestris seu portis, unde machinae moveri solebant, cum non caruerit,[2]) quin cum Schoenbornio in episcaenio Prometheum cum ceteris actoribus partes suas egisse putabimus! Sane constat excubitorem illum in Aeschyli Agamemnone et Socratem in Nubibus Aristophanis desuperne locutos esse.

Accedit quod odea theatris similia exstructa sunt, ex quibus unum affero: Herodis Attici, quod R. Schillbachius[3]) descripsit et O. Muellerus[4]) θεατροειδὲς ᾠδεῖον fuisse dicit.[5])

Schillbachius autem (l. c.) et A. Muellerus[6]) septem superioris loci fenestras fuisse et parvam portam

---

[1]) Cf. etiam: Cramer. Anecd. Par. 1. p. 3. (vide Mueller. Philolog. XXIII. p. 315).

[2]) Cf. A. Mueller. l. c. p. 315. Lohdius l. c. p. 14. „17 Meter über dem Pulpitum der Bühne befindet sich an jeder derselben zugekehrten Wand der Parascenien eine etwa **6** Fuss breite und **9** Fuss hohe Thür und **2** Fuss unter der Schwelle derselben treten noch **2** Kragsteine aus der Mauer hervor, welche eine Schwelle zur Auflagerung jener Balken getragen haben werden Aus der soeben erwähnten Thür gelangten die Theatermaschinisten auf diesen Theil der Bühne, dessen Boden eine offene Balkendecke war etc.

[3]) Ueber das Theater des Herodes Atticus. Jena 1858.

[4]) Archaeol. §. 289. 8.

[5]) Inschrift aus Arabia Petraea bei Letronne: Analyse du recueil des Inscript. de Vidua. p. 24.

[6]) l. c. p. 506.

foras in proscaenium spectasse scribunt. Num etiam fabulae ibi actae sint, perspicuis argumentis non potest comprobari. At fabulas ibi doctas esse ab histrionibus, priusquam in Dionysi theatro agerentur, scholio ad Arist. Vespas 1109 comprobante satis constat.[1]) Atque etiam Dionysi theatri scaenam eodem modo ac odea fuisse constructam ita non contendo, ut certi aliquid ex Odei episcaenio colligam et, cum Herodis Attici odeum anno 160 post Chr. natum exstructum sit, magnum in hac re momentum ponam, attamen attulisse me similia vel potius verisimilia arbitror neque inepta, quae hoc loco pro certis quae desunt argumenta adhibeantur.

Quaerenti autem, quomodo, si pro porticu quinque maeniana in episcaenio fuisse concedendum esset, actores fuerint dispositi initio cum choro in tam angusto spatio, optime respondet Schoenbornius:[2]) Prometheus, inquit, in summo maeniano est, quod ex medio prominet; Oceanus cum Oceanidibus in eo consederunt, quod erat dexterum a Prometheo, sic ut Joni et Hermae supersit laevum.

Ei autem, qui talem opinionem propterea fidem excedere opinantur, quod abhorreat ab hominum elegantium sensu, quia histrionibus seriem quandam formantibus et alio prope alium posito oculi facile offendantur spectantium, ei igitur non animadvertisse videntur, qualis fuerit Graecorum in hisce rebus sentiendi ratio.

[1]) A. Mueller. l. c. p. 501.
[2]) l. c. p. 294.

Etenim optime O. Muellerus [1]) et qui eum laudat Pauly [2]) imagines ectypicas (haut-relief) Graecorum cum theatri personis conferentes, ut in illis ectypis omnia certis lineamentis definita sint ut altera ab altera figura obdita, sic in theatro quoque aliam personam prope aliam et incessisse et constitisse monuerunt.

Oceanides in rupes prope Prometheum descendisse ibique mansisse per totam fabulam his fere argumentis probare potuerit quispiam: Chorus si in logeo aut in orchestra fuisset, majori spatio a ceteris histrionibus semotus esset neque fieri potuisset, ut ei, ad quem consolandum venerat, quam proxime appropinquaret. Alia porro difficultas et eadem gravissima tollitur, si chorus non in orchestra sed sublimis apparuit et mansit. Versu enim 1061 sqq. Hermes chorum abire jubet antequam rupes cum Prometheo corruant, [3]) id quod facere chorus repudiat. [4])

Rupes autem cum contremuissent Hermesque subito e conspectu abiisset, Prometheus solus in scaena relinquitur, quia ipse solus verba facit. Certe etiam chorus non jam aderat; alioquin chori fuisset, animos eorum qui spectabant ad terrae caelique motus advertere; quod quia non fecit, non jam aderat.

Chorum enim extrema tragoediae verba facere in omnibus quae restant Aeschyli fabulis videmus neque

---

[1]) Griech. Literat. Gesch. II. p. 48—49.

[2]) Real-Encyclopaedie VI. 2. p. 1765. s. v. theatrum.

[3]) ἀλλ᾽ οὖν ὑμεῖς γ᾽αἱ πημοσύναις συγκάμνουσαι ταῖς τοῦδε τόπων μετά που χωρεῖτε ἐκ τῶνδε θοῶς κ. τ. ἑ.

[4]) v. 1067—1074.

abstinuisset nostra quoque in tragoedia a querella aliqua, si adfuisset. In orchestra si fuisset aut in logeo, tribus modis oculis spectatorum potuit subduci: aut anapiesmate demergi aut aufugere ab utroque latere aut denique sublimis auferri. Quominus curru sive alia machina quam conscenderet, tranquillus sine ullo verbo auferretur, certe obstitit pulchritudinis venustatisque sensus et antiquorum et noster ipsorum.

Neque in terram potuit demergi chorus, quia multae erant Oceanides neque sine ulla voce melius inter tot ac tantos naturae terrores potuit egredi, quam si eum in rupibus manentem usque ad terrae motum fingimus. Tum autem salva deorum gravitate et verecundia ex oculis spectantium auferri potuerunt, si saxi cujusdam imagine velabantur id quod nihil omnino habebat offensionis in terrae illo terribili motu, cum summa imis confusa fingerentur.

Sunt denique tragoediae loci quibus chorum excelso loco egisse demonstratur, velut:

v. 130

ἥδε τάξις προσέβα τόνδε πάγον.

v. 283

ὀκριοέσσῃ χθονὶ τῇδε πελῶ.[1])

Hanc sententiam non comprobat Sommerbrodtius, qui p. 36. dicit: postquam aliquamdiu (Oceanides) ex machina in aëre suspensae cum Prometheo collocutae sunt, in orchestram descendisse videntur.

---

[1]) Cf. Schoenborn. l. c. p. 292.

Eodem modo Scholiastes v. 128 interpretatur: *τᾶυτα δέ φασιν ἀεροδρομοῦσαι διά τινος μηχανῆς· ἄτοπον γὰρ κάτωθεν διαλέγεσθαι τῷ Προμηθεῖ τῷ ἐφ' ὕψους οντι. ἐν ὅσῳ δὲ 'Ωκεανῷ προσλαλεῖ, κατίασιν ἐπὶ γῆν.*[1]) Equidem hac una re permoveor ut Sommerbrodtii sententiam maxime probandam putem quia non possum mihi persuadere chorum in hac fabula sola et orchestra abstinuisse et saltandi arte; nam in omnibus quae extant fabulis in orchestra eum versatum esse certissimis scimus testimoniis; hoc uno igitur argumento refellitur, quidquid in contrariam partem disputatur.

---

[1]) κάτωθεν Geppertius (l. c. p. 181) ex orchestra (von der Orchestra aus) neque falso explicat.

Cap. II.

De machinis in Prometheo adhibitis.

De machina sive aeoremate.

Machina, quae praeter ceteras solo indicatur nomine machinae,[1]) id potissimum effecit, ut in aëre volantes conspicerentur dii vel heroës, quam eandem explicationem affert Pollux.[2]) De constructura autem hujus machinae si quid certi requirere velit quispiam, monendum erit illud A. Muelleri,[3]) qui „architectis quidem," inquit, „placebit illas veterum machinas mente restruere et subtilius describere; scientia vero nostra talibus disceptationibus nihil proficit omnino." Mihi nimirum ultra hujus viri doctissimi doctrinam progedi nequaquam in mentem venit. Id autem pro certo habendum est, Oceanides ad Prometheum, cujus vociferationes audiverunt, advolantes usas esse hac

---

[1]) Boettiger, deus ex machina in re scaenica veterum illustratus. Opusc. p. 348. sqq.

[2]) Onom. IV. 128. ἡ μηχανὴ δὲ Θεοὺς δείκνυσι καὶ ἥρωας τοὺς ἐν ἀέρι, Βελλεροφόντας ἢ Περσεῖς.

[3]) Philolog. XXIII. p. 333.

„machina". Prometheus ipse *αἰθέρα δ' ἐλαφραῖς πτερύγων ῥιπαῖς ὑποσυρίζοντα* audit et chorus *φιλίαν τάξιν πτερύγων θοαῖς ἁμίλλαις* se advenisse consolatur *ὄχῳ πτερωτῷ*,[1]) quem *ὄχον* scholiastes ita interpretatur, ut Oceanides *διὰ μηχανῆς* per aërem advolantes cogitentur.

Ea machina etiamsi praeter ceteras solo machinae cognomine significata est, quoniam una omnium saepissime in scaena est usurpata, tamen non sine suo nomine fuit; nam proprie appellata est *ἐώρημα* vel *ἀιώρημα*, *ἀιώρας* autem Pollux (On. IV. 131.) nominat funes, ex quibus machina suspensa fuerit. Item Suidas[2]) *ἀιώρημα* et *μηχανή* eadem significatione usurpat et eandem rem fuisse cum Sommerbrodtio[3]) et

---

[1]) v 124.

φεῦ, φεῦ, τί ποτὰν κινάθισμα κλύω
πέλας οἰωνῶν; αἰθὴρ δ'ἐλαφραῖς
πτερύγων ῥιπαῖς ὑποσυρίζει.

v. 128 (Chor).

μηδὲν φοβηθῇς· φιλία γὰρ ἅδε τάξις
πτερύγων θοαῖς ἁμίλλαις
προσέβα τόνδε πάγον.

v. 135.

σύθην δ'ἀπέδιλος ὄχῳ πτερωτῷ.

[2]) v. ἐώρημα: ὁ Βελλεροφόντης διὰ τοῦ Πηγάσου τοῦ πτερωτοῦ ἐπεθύμησεν εἰς τὸν οὐρανὸν ἀνελθεῖν. καὶ φησιν Εὐριπίδης:

Αγ' ὦ φίλον μοι Πηγάσου ταχὺ πτερόν.

μετέωρος δε ἀίρεται ἐπὶ μηχανῆς· τοῦτο δε καλεῖται ἐώρημα. ἐν αὐτῇ δὲ κατῆγον τοὺς θεοὺς καὶ τοὺς ἐν ἀέρι πολιτας.

[3]) p. 36. 37.

Geppertio [1]) consentit A. Muellerus; [2]) adhiberi autem et exerceri potuisse hanc machinam ab utroque scaenae latere et dextro et sinistro, ex fronte Aspendensis theatri, quod accuratius descripsit Lohdius, [3]) satis mihi patet. Certe nemo dubitabit, quin suam quaeque fabula habuerit exornationem adaptatam mori aut dignitati ejus qui apparebat.

Atque in nostra quidem tragoedia Welckerus [4]) chorum facit sedentem in curru alato et magno cum strepitu ex alto advehentem. Contra quem Geppertius [5]) ineptias animadvertit in curribus alatis, qui onusti sint Oceanidibus et haec opponit argumenta: primum:

[1]) 177. 178. (Die altgr. Bühne.) 177: In weiterer Beziehung scheint man das Wort aber auch namentlich für jene Maschinerie gebraucht zu haben, die man erfand, um Jemanden von der Scene emporzuheben oder niederzulassen und die deshalb specieller den Namen des ἀειώρημα führte.

[2]) l. c. p. 333. „Sommerbrodt identificirt dann mit dieser Maschine diejenige, welche bei Suidas ἐώρημα heisst, denn beide werden übereinstimmend erklärt.

[3]) l. c. p. 14.

[4]) l. c. p. 25. „Es erscheint der Chor der Oceaniden — auf geflügelten und mit den Flügeln laut rauschenden Wagen schwebend.“

[5]) l. c. p. 180. „Mit vollem Rechte hat dagegen Welcker die Bemerkung gemacht „„„der bildenden Kunst seien Oceaniden in einem Flügelwagen so fremd als möglich,““ und eben dies ist der Grund, weshalb ich auch nicht glauben möchte, dass sich ein solcher jemals auf die griechische Scene verirrt habe; denn in der ganzen Vorstellung liegt etwas „Ungereimtes.“ Die Flügel, das Symbol der Schnelligkeit, können nur mit lebendigen Geschöpfen in Verbindung gebracht werden, bei denen man eine innewohnende Kraft voraussetzt, sie zu heben und zu senken;

tale aliquod vehiculum prorsus abhorrere a veterum pictura, deinde alas non posse sine insulsitate inseri nisi animalibus, quae eas moveant, magnamque denique difficultatem praeberi locandi per reliquam fabulam currus alati. Equidem concedere non recuso, nulla currus alati exempla extare in picturis. Quid autem? Nonne etiam os apertum [1]) alienum est a pictura et alia ejusmodi? Attamen in theatro fuerunt necessaria et vice versa mulierem nudatam a summo ad imum sine dubio, etiamsi a theatri abest arte, tamen pictores et statuarii nequaquam removebant ex rebus depingendis. Non ita in eisdem finibus hae duae artes versantur, ut, quae altera spernit, eadem spernantur ab altera. Quod autem Geppertius alas non sine ineptiis inseri dicit currui, qui eas movendi vi careat, mihi non persuadet.

Nam si tam anxie et subtiliter, quae cum rei cujuspiam natura non conveniunt, tollere volumus ex arte, non manebunt Mercurii galea alata aut Junonis currus rotatus, in quo per aërem advehitur apud Homerum et alia ejusmodi similia.

---

eine todte Maschine, ein Wagen, widerspricht einem solchen Ornament — Ein Wagen mit einem Chor von 15 Oceaniden der aus der Höhe auf die Scene herabschwebt und hier so lange hält, bis die Nympfen, die sich in ihm befinden, einen Chor gesungen und mit dem Titanen Prometheus lange Gespräche gepflogen haben, — mir däucht, das Ganze müsste sich ungemein steif und sonderbar ausgenommen haben."

[1]) larva.

Collocandi denique difficultas, quam Geppertius[1]) graviter commemorat, sublevatur, si non in media scaena prominentem fingimus currum et Oceanides magno cum labore pedibus atque manibus ex eo enitentes, sed ad scaenae frontem leniter appropinquantem, talem, ex quali facile fieri posset exitus.

Ego Geppertii rationes etiamsi me non movent, tamen ut currum reiciam alatum me perduxit hoc: extant picturae, quibus Thetis cum Nereidibus depicta est assidens in curru, qui ab equis alatis vehitur. Ex aliis artis operibus praesertim in mentem venit ea caelatura quam Cypseli cista praebuit,[2]) neque enim multum abest comparatio Oceanidum cum Nereidibus.

De Oceano ipso non multis opus erit verbis. Eadem in machina qua filiae inducebatur, sedens in equo maritimo alato, qualem ipse „τετρασκελῆς“ appellat.[3]) Eustathius[4]) Oceanum ἐπὶ γρυπὸς καθίζοντα explicat. Welckerus autem istud animal propterea non γρύπα fuisse monet, quod γρύψ nulli deo sacrum fuisset maritimo, sed Apollini. Pegasum quem pro-

---

[1]) l. c. p. 180 „und wohin sollte nun der Wagen, nachdem ihn der Chor verlassen hatte, gebracht werden? Stand er das ganze Stück hindurch auf der Scene?“

[2]) Cf. Pausa. V. 19. 8. et vasorum picturas quas collegit Hamiltonius.

[3]) Prom. v. 396.

λευρὰν γὰρ οἶμον αἰθέρος ψαίρει πτεροῖς
τετρασκελὴς οἰωνός . . .

[4]) In Odyss. 2. p. 1545. 49.

οὕτω καὶ ὠκεανὸς, τότε ὕδωρ αὐτὸ καὶ μυθευόμενος ὡς θεός. ὃν ὁ τραγικὸς Αἰσχύλος ἐπὶ γρυπὸς καθίζοντα ἐξάγει πρὸς θέατρον.

ponit Welckerus [1]) non libenter accipiam, quia non verisimile est, Oceanum alio animali usum esse ad volandum quam filiae, quae ex eodem mari itinere eodem advolabant ad Prometheum.

Droysenii [2]) illud „gaukelndes Meerross“ vituperat Schoenbornius [3]) qui, opinor, illud „gaukeln“ nequaquam cum tragoediae gravitate convenire putat. Quid enim significet „gaukeln“ praeter „sensim sine sensu moveri“, equidem non exquirere possum; id autem optime intellego, bestiam pedes seu caput moventem nequaquam convenire cum verbis Oceani et spectatorum sensibus, quales esse debeant in tragoedia.

Itaque Oceanus equo alato usus esse mihi videtur maritimo, ejusdem generis, cujus erant equi currum filiarum vehentes.

Restat ut alias, quae in Prometheo adhibentur, machinas commemorem, bronteum et ceraunoscopeum, de quibus quam pauca a Graecis ipsis verba afferantur et veteres et qui nunc sunt viri docti conqueruntur.

De ceraunoscopeo.

Extrema Promethei parte imis summa confusa videmus et Prometheus ipse, priusquam terrae hiatu hauriebatur, haec dicit:

---

[1]) Welcker, l. c. p. 25. 26.

[2]) l. c. p. 421. „Von der Meerseite her kommt der greise Oceanus auf seinem gaukelnden Flügelmeerross durch die Luft hereingeritten, bis vor Prometheus Felsen.

[3]) l. c. p. 295.

v. 1084
καὶ μὴν ἔργῳ κ᾽οὐκ ἔτι μύθῳ
χθὼν σεσάλευται· βρυχία δ᾽ἠχὼ
παραμυκᾶται βροντῆς, ἕλικες δ᾽
ἐκλάμπουσι στεροπῆς ζάπυροι,
στρόμβοι δὲ κόνιν εἱλίσσουσι·
σκιρτᾷ δ᾽ἀνέμων πνεύματα πάντων
εἰς ἄλληλα στάσιν ἀντίπνουν
ἀποδεικνύμενα· ξυντετάρακται δ᾽
ἀιθὴρ πόντῳ. . . .

Duo tantum fulminis in scaena adhibiti exempla nobis occurrunt, alterum in hac tragoedia, alterum in Sophoclis Oedip. Colon. 1466. De machina autem, quae fulminis speciem imitabatur, paene id solum pro certo affirmare possumus, eam, κεραυνοσκοπεῖον nominatam, fuisse in superiori quodam loco adhibitam. Etenim descriptio, quae sola extat apud Pollucem (On IV. 130) [1]) nequaquam est dilucida. Schneiderus [2]) parvam in machina versatili laternam suspicatur in qua ignis ita aleretur, ut si machina circumageretur,

---

[1]) κεραυνοσκοπεῖον δὲ καὶ βροντεῖον: τὸ μέν ἐστι περίακτος ὑφηλή.

[2]) l. c. p. 102. No. 122. „Das κεραυνοσκοπεῖον war der Ort, von wo der Blitz dargestellt wurde und bestand aus einer in der Höhe angebrachten, wahrscheinlich kleinen laternenartigen Drehmaschine, in welcher ein Feuer brannte. Wurde die Maschine gedreht, so fiel das Licht einen Augenblick auf die Bühne. — Da am Tage gespielt wurde, so konnte der blitzartige Schein nur dann bemerkt werden, wenn die Maschine möglichst weit nach dem Hintergrunde der Bühne zu angebracht wurde, wo es dunkel war."

scaenae frons luce repentina illustrata sit; nempe illam scaenae frontem cum non admodum fuerit in solis luce posita, laternae radiis refulgere potuisse dicit Schneiderus. Quis autem est quin scaenam, quae fuerit angusta in longitudine porrecta omnino non habuisse obscura loca concedat! Optime igitur Genellius[1]) colles illos apricos admonuit ante quos medio sole veterum fabulae agebantur.

Neque etiam Lohdius[2]) abhorret a describendi illam machinam conatu, qui colophoniam nescio quomodo cribratam fulminare per scaenam suadet ut cogitemus.

Hac in re tam obscura nihil restat quam ut conjiciamus ex nomine et rei natura.

Quia enim περιακτή nominatur, certe machina fuit quae dum circumagebatur lucis radios tam claros emisit, ut a spectatoribus conspicerentur sine dubio non semel sed saepius circumacta. Neque opus est, ut loca quaeramus cum Schneidero in theatro obscura et a solis radiis remota; fulgur in caelo sereno splendescens animadvertitur fuitque sine dubio scaenae frons non coloribus tam candidis depicta, ut fulgores iterum ac saepuis splendescentes non posset oculis distingui a caeruleo coeli colore.

[1]) Das Theater zu Athen, v. Hans Christian Genelli. Berlin u. Leipz. 1818. p. 79. „Noch weniger konnte es jener Scenerie einfallen, die Finsterniss darzustellen, welche nachzubilden sie gar keine Mittel besass, und die in ihren Darstellungen nicht zu dulden gewesen wäre. Sie musste und wollte sich immer ins Tageslicht stellen, bildete ebenfalls lieber die Wirkungen der Finsterniss nach als sie selbst."

[2]) l. c. p. 18.

Accedit quod cum splendore illo brevibus spatiis effuso tonitrua simul audiebantur neqne ea quoque semel aut bis sed continuo. Edita sunt tonitrua ex bronteo.

De bronteo.

De bronteo non admodum difficilis est quaestio; erat autem amphora quaedam, quae calculos maritimos continebat; hi calculi in aereum lebetem immittebantur, in quo volutati strepitum tonitrui similem edebant. Sic enim Bernhardius descriptionem Pollucis [1]) et quod eadem de re Suidas [2]) memoriae prodit, recte interpretari mihi videtur. Schneidero omnium soli in mentem venit bronteum sub scaena i. e. sub pnlpito fuisse. [3]) Nam Pollucis „ὑπὸ τὴν σκηνὴν ὄπισθεν“ et

---

[1]) τὸ δὲ βροντεῖον, ὑπὸ τὴν σκηνὴν ὄπισθεν, ἄσκοι ψήφων ἔμπλεοι διωκόμενοι κατὰ χαλκωμάτων.

Onom. IV. 130.

[2]) s. v. βροντή. ἔστι δὲ καὶ μηχάνημά τι, ὃ ἐκαλεῖτο βροντεῖον. ὑπὸ τὴν σκηνὴν δὲ ἦν ἀμφορεὺς ψηφίδας ἔχων θαλαττίας, ἦν δὲ λέβης χαλκοῦς, εἰς ὃν αἱ ψῆφοι κατήγοντο καὶ κυλιόμεναι ἦχον ἀπετέλουν ἐοικότα βροντῇ.

[3]) Istum errorem ex alio ejus errore profectum esse puto. Dicit enim l. c. p. 102: „Durch die hohlen Räume unter der Bühne und der einem Resonanzboden ähnlichen Vorbühne musste der Ton, wie durch ein Sprachrohr verstärkt werden“ Omnes autem viri docti, qui huic rei operam dederunt, Schneiderum hac in re valde errasse neque ullam pulpiti partem in orchestram eminentem fuisse demonstrarunt. (vide tabulam Schneideri libro additam r. das Logeion.)

Suidae „ὑπὸ τὴν σκηνὴν“ ab omnibus paene viris doctis [1]) non „sub scaena“ sed „post scaenae parietes“ vertuntur.

De anapiesmate.

Putat Sommerbrodtius [2]) in extrema tragoediae parte cum omnia inhiante terrae gurgite immergantur, anapiesmate effici terrae istum motum. Hunc anapiesmatis usum Schoenbornius reicit qui ἀιδέρα πόντῳ ξυντεταραγμένον κ. τ. ἑ. in scaena veterum repraesentari non potuisse dicit et terrae motum solis verborum coloribus depictum a spectatoribus fingi. At certe etiamsi in omni omnis aetatis theatro opus est ut multa fingantur praeter ea quae repraesentantur, neque nunc neque unquam machinis abstineat is qui terrae motum oculis spectantium exhibere vult.

Itaque Aeschylus cum ad efficiendam speciem terrae motus anapiesma adesset, certe usus est anapiesmate. [3]) Sunt qui eam machinam sub orchestram

---

[1]) A. Muellerus (l. c. p. 334) pauca tantum affert: „Das Bronteum will Rothmann in die hohlen Räume des Unterbaues legen. Aus Pollux l. c. ὑπὸ τὴν σκηνὴν ὄπισθεν dürfte wohl eher zu entnehmen sein, dass es hinter der Decorationswaud lag.“

Lohdius (l. c. p. 18). „Diese Donnermaschine befand sich, wie Pollux berichtet, in einem hinteren Raume des Scenengebäudes.“

Idem affert Pauly l c. p. 1771 et Geppertius l. c. 185.

[2]) l. c. p. 38.

[3]) Accuratius si quis de hac machina inquirere vult, legendum est, quod dicunt hac de re A. Muellerus p. 335. Rothmann, p. 16. G. Hermann. op. VI. 2, pag. 133—139. Lohdius 22.

collocent in hac fabula et Oceanides extrema parte anapiesmate demergi velint. Id autem propterea aliquid offensionis habere mihi videtur, quod spatio tam late aperto opus fuisset ad demergendas quindecim Oceanides, ut nequaquam a terrae gurgite hauriri viderentur, praesertim cum meminerimus orchestram omni ornatu caruisse.

Non sine difficultate disseri potest de discessu Oceanidum, ne uno quidem versu dicto abscedentium, cujus rei nullum praeter hanc fabulam exemplum extat.

Sed fortasse hoc ipso silentio Aeschylus terrorem augere potuit, si chorus, neglecto communi more, per orchestram huc illuc sine ulla cantilena anxie saltans vel decurrens in scaenam post parietes passim abcessit, cum Prometheus ipse cum saxo sub terram i. e. logeum deprimeretur anapiesmate.

Cap. III.

De histrionibus.

In Promethei initio conspicitur Titan ipse stans in rupe, ad quam mox affigetur a Vulcano statim ab initio praesente; ad latera illius stant Robur et Vis.[1]) Promethei corpus num merum simulacrum fuerit, sub quod idem histrio, qui primo Vulcani partes egerat, postea demum subrepserit ejusque ex ore sequentia pronuntiaverit, magna inter viros doctos lis est. Sed Genellius de simulacris in Prometheo adhibitis recte adnotat hoc: „simulacrorum in Attica tragoedia usum fuisse nemo negabit,“[2]) et facile apparebit, Promethei personam non ab actore aliquo agi potuisse sed simulacrum, quod Promethei speciem haberet, in rupibus constitutum fuisse, si causas quas affert Godofr. Hermannus attente perspexerimus.[3])

Primum enim homo pedibus manibus lateribus ad saxa alligatus quomodo non solum immotus stare per

---

[1]) cf. Fred. Wieseler: disputatio de difficilioribus quibusdam Pollucis aliorumque scriptorum veterum locis ad rem scaenicam spectantibus. Gottingae 1866 p. 5.

[2]) Genellius, l. c. p. 103: Der Gebrauch der Puppen ist überall der attischen Tragödie nicht abzuleugnen.

[3]) Adnotationes ad Prometheum Vinct p. 55.

totam fabulam potuerit sed etiam vocem integram et vigentem conservare, difficile est intellectu. Deinde ipsa species Promethei, qui vix aliter quam maxima parte corporis nudus conspici potuit, in vero homine cothurnis ceteroque ornatu carente exigua planeque indigna Titane visa esset spectatoribus.

Ille denique cuneus:[1])

„ἀδαμαντίνου νῦν σφηνὸς αὐθάδη γνάθον
στέρνων διαμπὰξ πασσάλευ' ἐρρωμένως."

per medium pectus adactus certe poscit simulacrum.[2]) Contra Sommerbrodtius duabus de causis simulacrum removendum esse censet, cum a Graecorum tum ab histrionum arte alienum esse simulacrum judicans.[3]) Quod a natura Graecorum alienum fuisse putat simulacrum, equidem hic memini Gepperti, qui[4]) optime nostram cum Graecorum scaenam comparat.

[1]) Prom. v. 64, 65.

[2]) nisi forte similem apud antiquos volumus actorum fuisse dolum, qualem apud nostrates scimus, quum mortem sibi consciscant in scaena aut trucidant gladio inter se.

[3]) De Aeschyli re scaenica p. 53.

[4]) Die Altgriechische Bücher p. 261.: „Unser Schauspiel, welches durchweg ein historisches ist, macht es sich, seiner eigenthümlichen Bestimmung gemäss, zur Aufgabe, die menschlichen Zustände. die es wiedergeben soll, mit möglichster Treue zu copiren. Daher studiren wir die Trachten und Moden, soweit wir damit vordringen können. vergleichen die Portraits berühmter Männer, die auf der Bühne dargestellt werden sollen und suchen überall bis ins Einzelnste der Naturtreue einzudringen; denn unser sogenanntes ideales Costüm ist eigentlich nichts Anderes, als die Abwesenheit Alles Costüms im engeren Sinne des Wortes. Bei den Griechen musste dies anders sein."

Etenim cogitemus de „personis seu tragoediae seu comoediae quae sine dubio magis quam simulacrum a natura Graecorum spectantium alienae videri possunt.

In nubibus Aristophanis servus,[1]) quia oleum in lucernam fundere omisit, a domino punitur, etiamsi tenebrae, utpote quibus lucernae oleo aluntur, nequaquam potuerunt repraesentari nisi per verba actorum in animis spectantium, et noctem, si opus fuit, simulatam tantum fuisse motu actorum instabili et incerto concedet, qui veterum fabulas sole ipso lucente actas esse meminit. Cum de Graecorum „natura" agitur, non procul abest a proposito picturae mentio, ubi porta domum repraesentat[2]) et columna significat aulam obsaeptam,[3]) Herma exitum indicat vel aditum domus.[4]) Miles significat exercitum (protypon quoddam Renndorf et Schoene „das lateranische Museum" t. II. fig. 2. „Apollo qui mortem mittit et miles humi cubans", quod protypon indicat, ut jam dixi militem, qui Achaeos repraesentat, qui telis mortiferis

---

[1]) v. 55. Θεράπων:

ἔλαιον ἡμῖν οὐκ ἔννεστ' ἐν τῷ λύχνῳ·

Στρεψιάδης.

οἴμοι· τί γάρ μοι τὸν πότην ἦπτες λύχνον;

δεῦρ' ἴθ' ἵνα κλάῃς·

Θεράπων:

διὰ τί κλαύσομαι.

[2]) Vasis pictura apud O. Jahn. Philolog. XXIII p. 26 tom. II.

[3]) Vasis pictura ap. O. Jahn. l. c. t. IV. 2. idem Welckerus. Alte Denkmäler V. t. XXIV. a. idem Arch. Zeit. 1867 t. 218. no. I.

[4]) Archaeol. Zeit. 1867. t. 221.

Apollinis necantur.)[1]) Quid multa! Sufficiant A. Muelleri de ista ratiocinatione verba: „pro Prometheo figuram quandam quod viderent Athenienses gravaturos fuisse id non magni momenti pronendum.“[2])

Quod autem de actornm arte contra simulacrum disserit Sommerbrodtius, nisi admodum fallor, non opus est, ut refellam. Haec sunt ejus argumenta:[3])

„In scaena fabula docetur ab actoribus, actorum autem ars, id quod ipsum vocabulum indicat, in „agendo“ posita est; atqui simulacrum aliquod, etiamsi summa arte moveatur, agere non potest; ergo Promethei vices expleri non potuerunt machinae ope.“

Equidem propterea de actione quadam non cogitabo, quod Titan duobus brachiis vinctus, pectore transfixo, paene nullum habuit membrum corporis, quo ageret. Itaque nulla habita ratione eorum, quae oratorie de agendi vocabulo[4]) in universum non sine jure aliquo

---

[1]) Hac de re Feuerbach. Gesch. der Plastik I. s. 103. ‚seine nachgelassenen Schriften. Braunschweig 1853. Curtius Arch. Zeit. 1867. s. 87.

[2]) A. Muellerus. l. c. p. 520. „Auf den zweiten von Sommerbrodt erhobenen Einwand, dass es die Athener übel aufgenommen haben würden, an der Stelle des Prometheus eine Holzfigur zu sehen, kann ich nicht mehr als auf den ersten geben.

[3]) l. c. p. 53.

[4]) Sommerbrodtius l. c. p. 53. 54. Aristoteles Poët. 6. § 4. πράττοντες ποιοῦνται τὴν μίνησιν etiamsi dicit, attamen Wieselerus (Theatergebäude etc. Gottingae 1851. p. 49.) optime monuit πάθη dicendo magis quam agendo descripta esse in scaena veterum. Ubinam porro aut qualis est „actio“ in Persis, quam fabulam scite Jacobsius cum illo genere comparavit, quod contate a nostratibus vocatur (cf. G. Hermanni op. II. p. 90).

adicit, non dubitem accipere, quod cum Welkero [1]) statuerunt G. Hermannus, [2]) C. Fred. Hermannus, [3]) Schoenbornius, [4]) A. Muellerus: [5]) Promethei partes expletas fuisse simulacri adjumento, quod rupi affixum esset et histrionem illum complecteretur, qui primo Vulcani partes egerit.

Quodsi Sommerbrodtius [6]) Prometheum in ipso incessu, dum liber sit, quodammodo indicare posse fingit animi sui firmitatem et constantiam, recte cum A. Muellero [7]) quaeritnr, unde liceat eonici Prometheum magnifice incedere, priusquam ad saxa alligetur.

Immo ipse Prometheus cum Vulcano Robore Vi jam inde ab initio stans in scaena potuit conspici, si quidem paries quidam ductilis subtractus est, cujus parietis usum in Ajace Sophocleo secundo actu et in Eumenidibus satis cognoscimus ex Schoenbornii hac de re argumentis, [8]) etiamsi vocabulum „ἥκω," quo in Eumenidibus Orestes et in nostra tragoedia utitur Bia, non tanti ponderis faciam, quanti fecit Schoenbornius; nam etiam „ἥκω" is solus dicit, qui „βέβηκεν."

Priusquam de distributione personarum pergam scribere, propterea, quo tempore primum haec fabula

[1]) De Aeschyli ternione Prometheo. p. 30.

[2]) adnot. ad Aeschyl. Prom. V. p. 55. sqq.

[3]) In disputatione personarum inter histriones in tragoediis gr. Marburg 1840. p. 23.

[4]) l. c. p. 294.

[5]) l. c. p. 519 sqq.

[6]) l. c. p. 54.

[7]) l. c. p. 519.

[8]) l. c. p. 216.

docta sit, inquirendum erit, quod nonnulli ex tempore conicere conati sunt numerum histrionum et alii invicem ex numero histrionum tempus quo primum docta sit Prometheus. Equidem certi aliquid afferre non possum; nam de tempore nihil constat nisi conjectura, ut opinor, argutior quam verior Hermanni et Sommerbrodtii. Atque Hermannus sic argumentatur:[1]) „Ol. 75. 2 arsit Aetna secundum marmor Ox. ep. 53 v. 68; recente adhuc incendii illius memoria scriptum esse Prometheum Vinctum, arguere videtur vaticinium ea de re Promethei.“[2])

Num autem ex isto vaticinio certum tale argumentum sumi possit, mihi non ita liquet, uti Hermanno. Nam etiam si concedendum erit, poëtam Aetnae admiratione adactum esse ad hanc fabulam scribendam, tamen nihil de tempore ipso certi ex hac re concludi potest. Si Persas septimo anno post victoriam Graecorum doctos esse constat, nemo certis argumentis demonstrare poterit, quot annos praeteriisse opus fuerit, ut haec fabula suam haberet maturitatem.

Altera de tempore conjectura Sommerbrodtii his verbis dici potest: „Sophoclem tertium actorem in scaenam produxisse constat et sine ulla dubitatione non prius publice accepta est haec nova res quam Sophocles magnam auctoritatem assequebatur i. e.

[1]) De choro Eumenid. opusc. II. p. 146.

[2]) Bernhardius nulla adhibita causa in historia liter. gr (ed. 1845) non ante Ol. 75. 2. Prometheum doctam esse conset p. 759.

priusquam in tragoedia vicerat Ol. 77, 4. Porro Aeschylus non prius recepit in fabulas suas tertium actorem, antequam publica lege institutus erat; atqui in Prometheo tres actores opus erant, ergo ea fabula non ante Ol. 77, 4 commissa est.[1]) Haec quoque argumentatio praesertim duo exhibet vitia dijudicanti. Nequaquam enim satis patet in hoc fabula tribus actoribus opus esse, sed, ut, paullo infra demonstrabo, duo prorsus poëtae sufficere potuerunt ὑποκριταί; tum etiamsi de tertio actore cum Sommerbrodtio convenerit inter viros doctos, tamen ne ex hoc quidem re certi aliquid conici licebit de tempore. Nam quoquo tempore Sophocles in tragoedia cum tribus actoribus vicit, nemo demonstrare poterit, eum ante hanc victoriam actore tertio omnino abstinuisse neque exposuisse jam ante Ol. 77, 4. in tertio actore producendo exemplum ceteris poëtis ad imitandum.

Itaque victoria Ol. 77, 4. a Sophocle reportata nullam omnino rationem stabilem praebet, quae subesse possit Sommerbrodtii sententiae.

Ceterum monendum est, apud Aeschylum tertium actorem statui posse nisi quum tres actores simul colloquantur, id quod in nostra tragoedia non faciunt.

Fuerunt qui secundum virtutem et praestantiam tragoediarum aliam post aliam fingentes doctam etiam Prometheo suum quendam locum et tempus impertirent; sed quam inanis sit talis argumentatio, nemo ignorabit.

---

[1]) Cf. Sommerbrodt. l. c. p. 55. 56.

Alii deinde ex Aristotelis dicto „τὰ τοῦ χοροῦ ἠλάττωσε“ conjiciebant, quo magis chori carmina cedant fabulae ipsi, eo esse tragoediam posteriorem et maturiorem. At hoc non ita Aristoteles de Aeschylo scripsit, ut eum in annum magis „τὰ τοῦ χοροῦ ἐλαττῶσαι“ vellet; quis enim nescit Agamemnonem plura chori carmina habere qnam Prometheum, cum Agamemno multis annis post scripta sit, et equidem quum inanium conjecturarum numerum augere nolim, jam transeo ad ipsam distributionem personarum.

Βίας partes a satellitio, id quod δορυφόρημα vocabant Graeci, actas esse inter omnes videtur constare; Κράτος utrum παραχορήγημα[1]) fuerit an tritagonistes contra A. Muellerum[2]) ab iis in dubitationem vocari potest, qui jam in Prometheo usum tertii histrionis statuere volunt. — God. Hermannus etiam Κράτους partes ad deuteragonistam refert, quia, ut ait Richterus, parachoregematis omnino ei non placet adjumentum. Personas autem sic distribuit G. Hermannus et qui eum secutus est Geppertus[3])

I. Protagonistes — Hephaestus et Prometheus.

II. Deuteragonistes — Kratos, Oceanus, Jo, Hermes;

[1]) Disserunt de „παραχορήγημα“ Pollux (On. IV. 110) Schneider (l. c. adn. 161) Richter (die Vertheilung der Rollen unter die Schauspieler der gr. Trag. Berlin 1842. p. 31. 108. passim.) Beer (Ueber die Zahl der Schauspieler bei Aristophanes. Lips. 1844. p. 12 sqq.) C. Fr. Hermannus (l. c. p. 22 sqq. 59 sqq.) Sommerbrodt. (p. 53 sqq.) A. Mueller (l. c. p. 520); atque de re ipsa paene omnes consentuint, dissentiunt autem cum Polluce.

[2]) l. c. p. 518.

[3]) l. c. p. 58.

protagonistes autem, postquam in scaena Hephaesti partes egit, sub σκευὴν rupi affixam subrepsit et Promethei verba per totam deinde fabulam fecit. Contra hanc distributionem duo mihi tantum argumenta videntur allata esse digna quae refellantur. Alterum argumentum est Lachmanni, alterum Richteri, quorum uterque in Prometheo tertium actorem in scaenam prodiisse vult. Et Lachmannus quidem in illis sex versibus Κράτους (82—87) non satis temporis fuisse censet Vulcano ad egrediendum et subrependum sub simulacrum. — Certe non ita multum temporis praebitum esse concedo, sed satis ad decore egrediendum, si meminerimus, mutatione vestium non opus esse ei, quem σκευὴ est plane circumdatura. — Restat Richteri sententia.[1]) Tritagonistam ille vir doctissimus sumit quia non sine indignitate Vulcanum ante socios e logeo abire censet et Aeschylo, cum hanc difficultatem tam facile vitare potuisset, si Robur fecisset πρόσωπον κωφόν, certe tres actores praesto fuisse inde apparere, quod nihilominus fecerit Robur loquens.

Libenter concedo multa in utramque partem disputari posse de hac re. Qualem autem difficultatem Robur colloquens et Hephaestus ante Robur abiens Aeschylo praebuerint, non video. Jam inde ab initio

[1]) l. c. p. 20. „Aber hat denn Hephaestus die Bühne verlassen, ehe seine Gefährten abgingen, hat er sie schicklicher Weise eher verlassen können? — Brauchte denn, wenn Aeschylus nur zwei Schauspieler haben konnte oder wollte, die Rolle des Kratos redend eingeführt zu sein?

Hephaestus [1]) vehementissime de artis suae servitio conquestus per totam deinde primam scaenam indicat, quanto cum dolore Jovis mandata exsequatur et mihi quidem optime videtur convenire cum tali deo „συγγενεῖ“,[2]) quod, simulac opus exosum peregit et „στείχωμεν, ὡς κώλοισιν ἀμφίβληστρ᾽ ἔχει“ [3]) dixit, festinans ab aspectu acerbissimo abit neque commoratur, dum Robur contumeliis quoque illis immansuetis Titanem vulneret; itemque mihi videtur cum Roboris moribus consentaneum esse, quod moram facit abeundi et aliquantulum in ipsa retardatione voluptatem prorogat, quam capit ex illo aspectu jucundissimo.

---

[1]) v. 14 sqq.
[2]) v. 14.
[3]) v. 81.

Vita.

Ego Guilelmus Augustus Otto Spandoviae die Martis tertio anni MDCCCXLV natus, in vico Berge prope Nauen, urbem Marchiae, quo, anno MDCCCXLVI, pater viis publicis praefectus, se contulit, disciplina institutus sum. Postquam usque ad annum quartum decimum scholas, in quibus litterarum elementa traduntur, frequentavi, a praecetore privato per duos annos instructus, Glogoviam me contuli, unde, cum per quattuor annos Gymnasium frequentavissem, testimonio maturitatis accepto Vratislaviam anno MDCCCLXV, ut litteris sanctis in academia operam darem, profectus sum. At haud ita multo post studiorum philologicorum amore exarsi, quam ob rem, vix uno semestri peracto, cum non haberem qui me adjuvarent, praeceptor domesticus unum annum ruri versatus sum, quo tempore, tumultu necopinato facto, per quattuor menses stipendia feci.

Quo anno cum satis ad studia incipiendia pecuniae mihi paravissem, Berolinum me contuli, ubi, civibus universitatis adscriptus, sudium ac diligentiam ad philologiam adhibui, per quod tempus professoribus humanissimis adfui disserentibus his:

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 053 159 0

in philologia: Haupt, Kirchhoff, Geppert, Weber, Mullach, Curtius, Heydemann, Tobler, Solly, Huebner;

in philosophia: Bratuscheck Trendelenburg, Michelet;

in rebus historicis: Droysen, Köpke, Lepsius, Kiepert.

Maximam vero curam ac diligentiam ad res scaenicas adhibui, praesertim cum inter poëtas tragicos Aeschyli tragoedias mihi proposuerim, quibus acriter accurateque studerem.

Inter scriptos Latinos Tacitus me valde delectavit. Inter philosophiae disciplinas Hegeliana imprimis me allexit.

NOV 1 1873